



~~SM.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
M-73. ———
SIGNAT. cIbIbCCCXIII.

I. N. 7.
 Ex Logicâ
 De

Prima Mentis O-
 peratione

PRAESIDE

Clarissimo & Pereximio

Dn. M. MARTINO LIPENIO,

Gortzâ-Brandenburgensi Marchico

Disputabit publicè

SAMUEL FRITSCHILIS, Pirnâ-Misnicus

In Auditorio Minori

Ad diem XIII, Martij, ANNO M. DC. LVIII.

WITTEBERGÆ
 LITERIS JOHANNIS HAKEN.

28

Summa Musicae


DE MUSICA THEORETICO PRACTICO

AVGVSTINI MARCI

AVGVSTINI MARCI

AVGVSTINI MARCI





Theses Logicæ de Primâ mentis Operatione.

I.



Logica agit de Terminis, sive Notionibus secundis. Considerat Logica Terminos, non ut *Objectum* suum quod sunt omnia Entia, non ut *subjectum*, quod est hominis intellectus; non ut finem, qui est Syllogismus; sed ut media ad finem in subjectum introducendum necessaria. Nam est disciplina operatrix, & quoad *γένεσιν* artibus maximè respondet.

2. *Terminus Logicus est vel Simplex, vel Complexus.* Ille unam significationem habet, & notat rem unam simplicem, sive sit vox una, sive plures. Nam logicus non tam voces respicit, quàm res significatas. Complexus est, qui ex pluribus simplicibus constat.

3. Simplex dividitur in *Consentaneum & Dissentaneum*. Ille cum altero componi potest, ita, ut de se invicem affirmentur; hic verò cum altero componi non potest, adeoque de se invicem negantur; ut sunt *Opposita & Disparata*.

4. Consentaneus quoad formam prædicandi consideratur in *Antepædicamentis, quæ sunt instrumenta incomplexa Logica, aptitudinem prædicandi, in terminis simplicibus delitescentem, formaliter designantia*: quoad materiam, sive subjectum, in quod forma illa introducenda, tractatur in *Pædicamentis, tanquam Synonymorum & Paronymorum Exemplis*.

5. *Terminus simplex, formaliter consideratus, est vel Individualis, vel Prædicabilis Absolutè vocantur individuum & Prædicabile.* Fundamentum primum hujus divisionis præbet Philosophus *lib. Categ. c. 2.* quando eorum, quæ sunt, inquit, quædam de subjecto

A 2

dici,

dici, quædam non. 2. *Distinctio entis in Singulare & universale.* De individuo autem primo loco præcipitur, non quasi Prædicabile excellentius sit, cum multis attribui non possit; sed quia est fundamentum generum ac specierum, ita ut illo sublato, omnia genera & omnes species tollantur.

6. *Individuum est terminus simplex, qui non aptus est de pluribus prædicari.* Sumimus autem hic individuum non in actu Exercito, sed signato; non quoad modum essendi; sic enim affectio entis disjuncta est: Sed quoad modum prædicandi, quatenus opponitur Prædicabili: non in sensu Physico, aut Mathematico, secundum quem Petrus in partes essentielles & integrales, in lineas & superficies dispescitur. sed in sensu Logico, prout in consideratione rei, seu entis, ponitur in prædicatione propriâ, affirmativâ, directâ & naturali, non identicâ & nugatoriâ.

7. Est autem duplex: *Vagum & Signatum.* Hoc est, quod certum Individuum determinatè significatur, ut quidem, vel *excellenter*, communi aliqua voce, seu nomine appellativo, ut Poetâ Virgilius; vel *descriptivè*, ut Trojani belli scriptor, i.e. Homerus; vel *demonstrativè*, v. g. hic homo, hæc domus: vel *Propriè*, v. g. Paulus, Casparus, Maria &c. Vagum est quod Individuum indeterminate notat signo particulari, nomini communi addito. Hoc non nulli irritò planè conatu è consortio terminorum simplicium relegare audent eò quod complexum sit, cum quoad voces, tum quoad nostrum conceptum. Nam dum mens disjunctivo descensu multa comprehendit individua, conceptus multiplicantur.

8. *Prædicabile est terminus simplex consentaneus, qui aptus est prædicari de pluribus.* Prædicabile dicitur à *prædicando*, ob finem suum ad quem dirigitur, sc. ob prædicandi aptitudinem secundum naturam. Denominatur quoque aliàs *universale, non in essendo, non in causando non in representando, sed in prædicando*, quod talis conceptus logicus est, qui potest de pluribus inferioribus prædicari.

9. Græcè quoque *κατηγορημα ἀπὸ τῆς κατηγορεῖν* appellatur. Uti enim in foro actor aliquid de reo dicit: ita etiam hic terminis prædicabilibus aliquid additur, respectu cuius illi apti sunt, ut de alio prædicentur. Deinde quia aptitudinem saltem ad prædicandum habet, per eam à prædicato differt, utpote quod actu prædicatur.

catur. Prædicabile autem non est quod actu prædicatur, sed saltem, quod aptum est, h. e. quod aptitudinem habet, ut in pluribus sit, vel simul, ut homo, vel Successivè, ut Monarcha, vel inesse non repugnet, ut species Monadica.

10. Prædicabile duplex est: *Synonymum & Paronymum*. Quicquid enim de alio prædicatur, illud est *vel de essentia rei, & vocatur Synonymum. vel extra essentiam diciturq; Paronymum*. Ad hanc *διχοτομίαν* omnia prædicabilia possunt reduci, & omnes propositiones affirmativæ veræ.

11. Prædicabilia quinque ista satis nota: *Genus, Species, Differentia Proprium & Accidens*. Neque enim hic Audiendi sunt, qui cum *Alstedio in Log. Syst. Harm. l. 2. c. 2.* tot constituunt prædicabilia, quot loci Topici sunt, ut quando causa de effectu, partes de toto quocunque modo enunciantur. Nam ista non in casu recto, sed obliquo, de se invicem dicuntur. Non enim sutor est calceus; sed culcei causa, sicut etiam manus non est corpus, sed corporis pars.

12. Neque isti inveniunt locum, qui cum *Keckerm. Syst. Log. l. 1. f. 1. c. 3.* Accidens & Proprium ex numero Prædicabilium, excludunt, propter hanc rationem: quia Logica agat de Prædicabilibus in respectu duntaxat ad prædicamenta, quæ non nisi per genera & Species, atque obliquè per differentiam signentur. Sed in primâ mentis operatione non solum ea, quæ unius clasfis sunt, per suprema, media & infima ordinantur, sed etiam *que diversarum classum sunt*, inter se ratione prædicationis conferuntur, adeoque non tantum essentialis, sed etiam accidentalis Propriorum & Accidentium aptitudo prædicandi hinc attendenda est.

13. *Synonymum est Prædicabile, quod de pluribus in quid prædicatur; Paronymum verò, quod de subjecto in quale dicitur*. Synonymum à *συν & ὄνομα*; Paronymum à *παρά & ὄνομα*. Illud unâ cum nomine rem ipsam communicat: hoc juxta nomen derivationem à priori aliquo attendit. Per Synonymum autem *non res Synonymas*, quæ vulgò dicuntur univoca univocata, sed ipsa nomina, quibus res ita nominantur, ut & nomen & definitionem suscipiant, intelligimus. Ideò quoq; de pluribus, hoc est, inferioribus in quid, h. e. essentialiter, definitivè, in abstracto & in casu recto dicitur.

14. Synonymum est *vel latius*, quod de inferioribus non reciprocè prædicatur, ut Genus de Speciebus & Species de individuis: *vel æquale*, quod cum Genere de Specie reciprocè prædicatur, ut Differentia.

15. Genus ergò sub se habet speciem & de pluribus specie differentibus in quid prædicatur. Ex hæc descriptione patet, quod non de genere in sensu Grammatico genus masculinum, aut apud Oratores atque Poetas, patria atque stirps seu origo, genus nominantur, nec in sensu Politico pro familiâ; nec in Physico pro differentiâ sexûs; sed Logico, pro tali synonymo, quod speciei contradistinguitur, quod latius est respectu inferiorum, quæ vel directè ut species, quæ immediatè, & individua, quæ mediatè respicit; vel indirectè ut Differentias respicit. Et ideò etiam cum iisdem reciprocarî nequit. Sic dicimus quidem homo est animal, Petrus est animal; sed non, quicquid est animal, est homo vel est Petrus.

16. Species verò sub genere collocatur & de pluribus numero diversis in Quid prædicatur. Et vicissim constat, speciem non intelligi Grammaticam, sed Logicam, quæ generi contradistinguitur & latius est suis inferioribus h. e. Individuis, quibus cum nequit converti. Rectè enim iterùm dico: Casparus est homo, vinum Rhenanum est vinum, non tamen vice versa: omne quod est homo, est Casparus, aut omne, quod est vinum, est vinum Rhenanum.

17. Differentia tandem genus in oppositas species dividit, & cum eodem certam speciem constituit, atque in quale quid prædicatur. Et hic notandum, quod non notetur Differentia Metaphysica, non Politica, sed Logica, eaque non Accidentalis, sed Essentialis quâ unum ab alio per propriam essentiam differt. Ubi homo per τὸ λογικὸν à bruto differt, in quo est τὸ ἄλογον, hæcquè communiter à Philosophis specifica, & cum genere conjuncta speciem ipsam constituit.

18. Hinc etiam fluit, quod in quale quid prædicatur. Quando enim refertur ad genus, quod limitat, determinat & dividit, in quale, hoc est, *παρωνύμως* prædicatur; Quando ad speciem, in quid, hoc est, synonymicè dicitur. Sic rationale, quidditivè de homine, qualitativè de animali dicitur. Ut si
quæ

quæram: Quis est homo? & respondeam, est rationalis: quale animal est homo? & respondeam, est rationale animal. In universum autem, quale quid homo est? Respond. est animal rationale.

19. *Paronymum itidem est vel æquale, quod de subiecto suo reciprocè prædicatur ut proprium; vel latius, quod de subiecto suo non reciprocè prædicatur, ut Accidens.* Proprium igitur de subiecto in quale necessariò & reciprocè dicitur. Proprium autem hîc non intellige *Grammaticum* nec *Rhetoricum*, nec *Oeconomicum*, sed *Logicum*, pro tali Paronymo, quod de subiecto, sive immediatè ut de specie, sive mediatè, ut de omnibus ejus individuis, in quale quidem h.c. extra essentialiter, non tamen *contingenter*, sed *necessariò* & cum reciprocatione dicitur, adeoq; *soli speciei, omnibusq; ejus individuis & semper convenit.* v.g. risibile in homine, ululare in lupo, gannire in vulpe.

20. *Accidens autem de subiecto in quale contingenter prædicatur.* Accidens iterum non *Physicum*, non *Metaphysicum*, sed *Logicum*, idq; *non Prædicamentale*, quod substantiæ opponitur, sed *Prædicabile*, quod τῶ ἰδιῶ opponitur, quodq; de subiecto contingenter & in quale enunciatur.

21. Atque hæcenus consideravimus Terminum simplicem formaliter; nunc sequitur *consideratio ejusdem materialis.* Quo sensu terminus est *prædicamentalis* seu absolutè loquendo Prædicamentum, quod nihil aliud est, quàm ordo substantiarum & accidentium per Synonyma & paronyma representatus.

22. Prædicamentum à prædicando *non aptitudinali, sed actuali* dicitur. Non enim his amplius aptitudo prædicandi ut supra in Prædicabilibus sufficit, sed coördinatio rerum, prout de altero enunciari possunt. Græcè dicitur *κατηγορία* à verbo *κατηγορεῖν*, quod primò significat accusare, secundo etiam per Metaphoram unum de altero prædicare, ut Fonseca l. v. Metah. cap. 7. q. 1. f. 7. annotavit.

23. Quæ secunda significatio hujus loci est; ubi istud quidem etiam tenendum, quod *prædicamentum* notet vel *summum* genus, sub quo res disponuntur, uti dicimus, substantiam esse prædicabilem.

dicamentum vel seriem rerum in prædicamentis contentarum, uti dicimus, hominē esse in prædicamento substantiæ, albedinem in prædicamento Qualitatis. Illo modo prædicatur *ὑνωμένως*: hoc verò modo *παρῶνως*.

24. *Idcirco ordinem substantiarum & accidentium nominamus non nudas voces*, quæ ad Grammaticam pertinent, *neque tantum res*, ut sunt, quæ ad Metaphysicam, *neque conceptus simpliciter* quæ ad alias speculativas disciplinas; sed res (quales substantiæ & accidentia sunt) per conceptus (synonyma & paronyma) representatas huc spectare aut in prædicamentibus classibus esse, subinnuimus.

25. *Hinc prædicamenta sunt vel substantiæ, vel accidentium.* Prædicamentum substantiæ est ordo substantiarum, per genera, species & differentias representativus. Quoniam in Metaphysicâ Ens dividitur in Substantiam & Accidens, ideò etiam Logicus à Metaphysico materiam suæ prædicationis mutuò desumens duplex facit. *Prædicamentum: Substantiæ & Accidentium.* Sub illo omnes substantias, sub hoc omnia accidentia secundum sub & supra disponit. Non quidem, quod *accidens de Quantitate, Qualitate, & cæteris prædicetur ut genus*; aliàs ista non essent summa genera, sed saltem *ut conceptus analogicus.*

26. Hinc itaque manent decem summa genera, nec ponendum est *undecimum*, quod Ficinus vocat *prædicamentum signi*, in quo secundæ notiones reponantur: quia classes rerum, non notionum hîc inquirimus; *nec plura alia admittenda sunt* ex sententia *Vivis in lib. 2. de Caus. Corrupt. c. 26.* & aliorum, quia satis est, istuc uno te dicere verbo, sed facere ut quivis sentiat & videat: *neq; intermedia quæpiam inter substantiam & accidentia faciendæ sunt*, differentia scilicet motus tempus & locus, ut alij quipiam Philosophi autumant, quia hi posteriores reductivè ad quantitatem, istæ verò indirectè ad res, quarum differentia sunt, possunt revocari, quo de legi possunt *Conimb. in c. 4. de decem prædicam. quæst. 2. art. 3.*

27. Prædicamentum accidentium est ordo novem accidentium per genera, species & differentias representativus. Sunt
autem

autem novem ordines, cum totidem sint Accidentia: *Quantitas, qualitas, Relatio, Actio, Passio, Quando, Ubi, Situs, Habitus,*

27. *Dissentanei Termini sunt Opposita & Disparata, de quibus in postprædicamentis agitur. Est autem Postprædicamentum ordo terminorum dissentaneorum.* Hi dissentanei dicuntur non solum, quod à se invicem dissentiant, seu disfidant, sed etiam quia de se invicem in enunciationibus negantur. Ut igitur in Categoriis prædicationes affirmativæ, vel superioris synonymi, generis puta, speciei, differentiæ, vel alterius paronymi, accidentis puta vel proptii erant: Ita hic docemus, quæ non possint sibi invicem attribui, nisi negativè. Talia sunt *Opposita & Disparata.*

29. *Opposita sunt termini simplices in Metaphysicis & indirectè in Postprædicamentis tractantur. Aliàs vocantur diversa cum pugnâ; item pugnancia seu repugnancia, Græcè ἀντινεύμενα, quasi dicas contra posita; quæ cum in eodem subjecto, eodem respectu & tempore inesse, deq; se invicem affirmari non possint, negari debent, ut sunt relata, pater & filius; contraria, calor & frigus; privantia, vita & mors; & contradictoria, ens & non-ens negativum.*

29. *Disparata* porrò dicuntur, quasi res sive species separatæ & sunt quidem diversa non *tamen propriè opposita*, ut Ramei volunt, cum non statim diversitas rerum faciat oppositionem. Itaq; quamvis diversam habeant naturam, in uno tamen subjecto sæpè concurrunt, ut Medicina Philosophia, ferrum, ignis, pietas sapientia, divitiæ. *Non autem in essentiâ abstractâ.* Non enim dicere possum: Medicina est Philosophia, aut ferrum est ignis: *bene tamen in concreto* dicere possum, Medicus est Philosophus, ferrum est ignitum, & idem homo, qui est pius, est etiam sapiens, est justus, est dives &c.


30. Atq; in hac terminorum simplicium Theoria, quatenus illi ad prædicationem negativam aut affirmativam, eamque aut essentialem & Synonymicam aut accidentalem & Paronymicam faciendam ordinantur, occupata est prima mentis operatio, quam vocant terminorum simplicium apprehensionem, seu *γένεσιν τῶν*

B

ἀδια-

ἀδιαπέτων. Hanc quia ita breviter delineavimus & ut in cursoria quadam repetitione fieri potuit, attigimus, nunc manum retrahimus & subsistimus, dicentes.

Soli DEO gloriam!



Ad
Humanissimum Dn. Respondentem, Pirnensem, Affinem & Amicum meum.

CONsilio nostro Cathedram conscendis, Amice:

Consilio nostro myrthea ferta capis
Non te pœniteat, jussum fecisse libenter;
Quid possis, meliùs, quàm tua *Pirna*, scio.

*Michael Wendelerus, D.P.P.
& Decanus*

Quæ sit vis Logicæ, mecũ perpendere, Fritschi
Niteris; est labor hic egregius! (fateor!)
Non minor est virtus callere Noëmata rerum,
Quam rerum series per didicisse satis

Hoc

Hoc opus est sophiæ: Logicæ est munus at istud:
In presenti tu jungis utrumq; benè.
Ut mens apprehendit res, atque noëmata rebus
Inponit, monstras hisce tuis thesibus.
Nisibus applaudo; conatum laudo; coronam
Gratabor tibi, quam magnus Apollo
dabit.

αὐτοσχεδίασι
scrib.

M. Martinus Lipenius.

Tergemino Mens nostra modo spectatur
in orbe,
Apprêndit quando, dividit, atq; ligat.
Inde tuæ menti curas, operatio mentis
Prima, velut Logicis est vocitata, dedit.
Prima quidem, sed non postremis obsita
nodis,
Pallade quos solves, non renuente,
riget.

Augu-

Auguror! has operas laudabit & ipsa Minerva,
Primaque pro tanto ferta labore dabit.

*Ita Dn. FRITSCHIO, Philosophiae
Candidato bonae scerae ergo ap-
plaudere volui*

Adam Sellius, Franckof. Marck.
Philosoph. Stud.



Ung VI 73

ULB Halle 3
004 108 515








34

ntis O.

e

eximio

LIPENIO,

si Marchico

blicè

,Pirnâ-Misnicus

inori

NO M.DC.LVIII.

Æ

S HAKEN.

